



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Exercitia S. P. Ignatii Via Ad Salutem Et Perfectionem
Propriam & alienam, Tuta & perpetuo tenenda**

Ignacio <de Loyola>

Hildesii, 1713

VD18 13664689

Meditatio tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60348](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60348)

Meditatio tertia.

INter duos latrones crucifixus fuit, adscripto titulo: JESUS Nazarenus, Rex Judæorum. Joan. 19.

Blasphemias sustinuit in cruce, sitim: derelictum se questus à patre. Exspiravit. Sol obscuratus Matth. 27. Luc. 23. Joan. 19.

Modus idem, qui superius. Plura si quis velit de Domini passione meditari; materiæ petendæ sunt aut ex libello Exercit. pag. 171. &c. aut ex Evangelio.

Consideratio.

Praxis sequendi Christum ad salutem & perfectionem.

Primò: Ex Christi sincero amore studioque conformitatis, quâ & Deo valde places & Christo & toti cœlo, aut statuendum est de vitæ totius statu, aut quod bene constitutum, confirmandum est; aut emendandum quod malè.

Secundo: Concipienda est Christi alta & dulcis æstimatio, magnus velut præsentis amor. Æstimanda magna felicitas, gloria & gaudium, quæ in eo sita sunt, quod Christo amantissimo conformis & Christo placeam & Deo, summo hujus vitæ & æternæ fructu, ad Dei æternam gloriam. Hinc existat par æstimationi & amoris spes & desiderium imitandi in omnibus Christum (ex Med. 1. die 1.) & hæc quidem tempore matutino, quo etiam statuenda, offerenda, petenda sunt sequentia per diem totum exequenda. *Ter.*

Tertiò: Renovanda hæc quidem aliquoties per diem: per decursum verò diei, in eadem æstimatione, amore & desiderio habendus frequenter ob oculos Christus, ejúsque sanctum exemplum; ita ut in omnibus hoc agam, hâc intentione, perfectione & modo interiore & exteriori, quo idem aut egit aliquando Christus aut nunc acturus esset.

Quartò: Hâc ratione exigenda primùm ea sunt, quæ ad quemvis spectant piè Christianum: tum *erga Deum*, tum erga proximum, tum in seipso: Timor, veneratio & amor Dei atque ad omnem ejus voluntatē profunda permissio: innocentia & puritas ab omni peccato in omni vita, actione, intentione: contemptus mundi & omnium rerum terrenarum præ coelestibus & æternis: Paupertas spiritûs: abnegatio & expugnatio amoris proprii: Studium placandi Deum pro peccatis & pœnis: abjectio omnis respectûs humani: resignatio in omnem Divinam voluntatem præsentem & futuram, omnesque ab illo certò provenientes varios eventus: oratio pia, multa, & humilitate & contentione vehemens. Amor proximi, humilitas, mansuetudo, affabilitas, sinceritas, tolerantia & excusatio defectuum, desiderium benefaciendi ac ipsius salutis: erga proximum quemvis: amor etiam inimicorum: modestia oculorum, oris, loquelæ, incessus ac totius hominis: temperantia in omnibus, maximè ad quæ caro trahit: patientia in omnibus adversis &c.

Quintò:

Quinto: Christi amore singulari & exemplo ad gradum usque magnum perficiendæ sunt virtutes, religiosæ professioni propriæ: scilicet Paupertas, Castitas, Obedientia, Solitudo, Silentium, Vita communis, legum domesticarum Observatio, Perseverantia &c. Idem sit de statu Ecclesiastico, ejusque omni decore interno & externo.

Sexto: Assurgere etiam altiùs possumus pro magnitudine amoris & imitandi placendique majori desiderio, ad valde difficillia & ardua & dura agenda & præcipuè toleranda, & quidem libenter ac cum gaudio, gratiarum actione & desiderio plurimum: aut si etiam gaudium spirituale inter tolerandum Deus subtraheret (uti Christo in horto subtractum est & alibi, cum se derelictum & tristem ad mortem querebatur) tolerandum saltem summâ voluntate. Magnum Dei & Christi beneficium est, accipere à Deo tolerandos magnos, multosque contemptus & dolores, magnum pro Dei gloriâ & nostro fructu, non nisi magnis amicis communicari solitum; pati cum Christo amore Christi. Dignus quidem per te es omni malo & contemptu: at quatenus Christus ea suo exemplo & merito tam nobilia fecit & Divina, magnâ gratiâ, amore, gloriâ compensanda, magnum bonum & beneficium sunt, quo indignus es. Toto animo abhorrendum est ab eo, à quo Christi vita abhorruit & exemplum, ab honore & commoditatibus, divitiis, delitiis: tantum abhorrendum est, quàm carus & amatus est Christus: tantumque amanda adversa & contemptus

temptus maximi & publici, & majores & minores. Hæc speranda, expectanda, desideranda, quærenda, imò à Deo petenda sunt. Minimis, obviis, quotidianis, perpetuis, spontaneis mortificationibus præparandi sumus ad majora. Tantum tibi deest amoris & fiducia in promittentem Christum, quantum abhorres accipere & petere (modò non oblit gloria Divinæ, aut tuæ vel alterius salutis) vilissima & difficillima.

Septimò: Imitari etiam debemus Christum in zelo animarum, eique cooperari ad salutem animarum; ne hæc suo Creatori & Redemptori pereant in æternis doloribus. Negotium ergò animarum, & opus quodvis earum causâ susceptum (qui opere ipso huc conferre nihil potest, conferat multis orationibus & meritis) primùm aggredi debemus *sanctis desideriis & orationibus*. ut ait S. P. alio loco: desiderare scilicet illud Regis Christi Med. 1. die 5. *in animo mihi est: mea hæc est justissima voluntas totius mundi dominium mihi (Christo) vindicare*, ereptis multis ex inferno animabus, augere, implere numerum electorum & prædestinatorum à Deo, & in totam quam sibi Deus destinavit æternam gloriam, idque Dei causâ & animarum propter Deum. Neque hoc conamur vanè. Veluti unicus miles desiderat & intendit totam magni Exercitûs victoriam, eoque confert, quod summum optimûmque est, consors totius postea triumphis. Deinde spectemus & illud: *mibi vindicare*, hoc est Christo. In omnibus enim, quæ ages animarum causâ, dicit Christus;

stus;

stus: *mihî fecistis*, (uti etiam ipse Deus) meæ bonitati, meo sanguini, meæ gloriæ &c. Tertio, non alio vestitu rebûsque aliis velut armis quàm Christi utendum: non alio modo & exemplo: nec vestiatur actio, nec tu ipse malâ affectione sensualis amoris, commodi, vanæ auræ, &c. hæc sunt insignia & arma inimici, tantùm certò deperditur, quantùm horum assumitur. Quarto: *Mecum laboret*: rogandus Christus Dux, magnâ fiduciâ, ut tecum sit, qui aliàs nihil potes. Quinto: *Mecum laboret* Christo conjunctus toto intellectu & voluntate ad exemplum Christi in simili actione, pari intentione, modo, labore, charitate, constantiâ. Sexto: *Mecum, inter multa adversa*, labores, dolores & contemptum. Septimò: *Mecum*, cùm hæc egeris, eventum cæterâque omnia in magna quiete, commendare Deo & Christo tecum laboranti, omnique curaturo bene.

Octavo: In quacunque versetur aliquis viâ vitæ spiritualis, sive purgativâ, sive illuminativâ, sive unitivâ; plurimum, exempli & commodi petere potest, tùm ex vita, tùm maximè ex passione Christi. Discet enim, quanti Deus ipsemet æstimet finem hominis; quantum sit peccatum: quâ poenitentiâ hîc expiare culpas debeat & poenas, &c. similia in in aliis viis perfectionis.

Nonò: Denique sic in omnibus & minimis agendum, ut omnis tua actio coram Deo appareat ut Actio Christi, intentione, re, modo, perfectione, unione.

NB.

NB. Quodnam in hac Divina materia sit impedimentum, quis profectus. Impedimentum est penè solus amor proprius, nolens à commodis suis recedere; nolens incommoda suscipere. Deinde vanus respectus, amor, timor hominum.

Profectus esse debet: augere semper cognitionem Christi, perfectionum ejus & amoris in nos, hæc ipsa legendo, meditando & orando, idque indies & persæpe V.g. Tempore meditationis, communionis, occasione Dominicæ Passionis & specialium beneficiorum &c. Ex cognitione debet crescere amor; ex amore desiderium & studium valde placendi & imitandi: Ex hoc major semper puritas ab omni peccato, umbra peccati & imperfectione; major majorque exinanitio amoris proprii &c. majus studium virtutum, abdicatio major honoris & omnis mundi; majus desiderium contemptûs & crucis; major ad Dei obsequium & animarum salutem labor, major sui ipsius in omnibus afflictio &c.

Præterea ac denique ex hoc Christi amore & imitatione perficienda magis magisque ea omnia sunt; quæ in superioribus sunt dicta, atque imprimis in Confid. die 1. de nihilo §. 3. Confid. die 2. Confid. die 3.

Verba Scripturæ Sacræ.

Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ. Hebr. 12. 2.

Christus

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Pet. 2. 21.

Semetipsum exinanivit. Phil. 2. 7.

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescet. 1. Pet. 4. 13. 14.

Videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. 1. 12

Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Rom. 5. v. 7. 8.

Si sustinebimus & conregnabimus. 2. Tit. 2.

Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus: Matth. 10. 38.

Qui vivunt, non jam sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. 1. Cor. 5. 15.

Amor meus crucifixus est S. Ign. Mart. in epist. ad Roman.

Legenda.

Ex Thom. Kemp. l. 3. c. 34. 47. 49. 50.

Libro Exerc. Regulæ, ut cum Ecclesia sentiamus. 207.

Lancit. Opus. II. c. 22. op. 3. c. 5. 6. op. 9.

Roderic. part. 2. Tr. 7. Tr. 3.

Nieremb. de. ad. l. 2. c. 5. c. 7. 9. 11.

Dies